Vir Nobilissime, Clarissime, Doctissimeque
fautor colendissime!

Recte me accusas, quando me ad binas litteras tuas humanissime perscriptas tarditatis insimulas. Accipe causam silentii! Alio atque alio tempore Tomo II.do coronidem imponere cogitavimus, sed ne id fieret, impedimentum prohibuit inopinatum; expectanti autem in dies exitum rei, citra voluntatem meam prorogata est responsio. Nunc nil amplius restat, quam ut nuncium afferam, cetera quae Tomo II. supersunt, proximis nundinis abitura iri. Equidem meditamur Diarium astronomicum exhausturos uno volumine omnia, quae sparsim in aliis occurrunt. Sed res admodum ardua est, non ratione laboris aut ingenii, quod nullum est, sed ratione sumtuum, quorum cum paucitate subscribentium nulla adhuc proportio existit. Animos vero cadere nostro non patiemur, verum quid dii in hac re decre-

verint, experiemur. Lucrum nullum venamur, uti ingenuus hominem dignum, hoc unico contenti, si saltem sine propria noxa aliis officia nostra conferre possent. Non potest non grata tua operam esse, quam promittis in excerpendis miscellaneis Berolinensibus, quae de re imposterum plura. Etenim ita ditum Commercium complecteretur solum ea, quae noviter observata aut elaborata ad nos afferuntur, cetera vero quae ex Actis & Diariis colliguntur, constitutum haberemus, supplementorum loco edere, ubi iis propositis omnia quae in exoticarum gentium diariis & Actis extant, coacervaremus, nec consilio, Vir praeclarissime, tuo, Acta Erudit. Lips. negligeremus. Alio ordine haec tractanda, perbelle mones. Secundet tantum Deus conamina nostra, ut quod superius dixi obstaculum, omnino tollat. Lapidem interim omnem movebimus, ut mittemus, colligamus, rogamus, qui nomina dent, institutoque subscribant. Quod si defuturi

erunt viri, est tamen laudanda voluntas. Utinā
coelum voluisset, ut accepissemus de tua sedu-
litate binas praeclaras observationes, quas nega-
verū denegavit, imposterum vero meliori successu dabit.
D. Doct. Thomasius una cū suis, Dn. Pr. Doppelm.
neq Adelbulnerus brevis omnes Te parentemq
Tuum multa salute impertiuntur, & de commercio
cū Societate Angl. instituendo ex animo congra-
tulantur. Si accepero Domini Vestij responsum,
& quae amplius Vir Nobilissime, desiderasti,
nundinis Lips. uno fasciculo omnia fideliter
& studiose transmittam. Meo ipsius nomine
erga dilectissimum parentem mentis meae perpe-
tuam venerationē testificare, persuasusq sis
me fore eū, qui fui & sum

Vir Nobilissime

Amplissimi Nominis Tui

Norib. Idibus Mart.
1736.

Obsequentissimus Cultor
Joh. Mich. Franzius
L. Cult. & Geogr.

Quomodo placuere Semlerianae
machinae? para catalogum
commercio inserviens

Lettres de Mr. Frantzius de Nuremberg.

A Monsieur

Monsieur Baratier,
Maitre en φφie & Membre
de l'Acad. des Sc. Prussiène

franco. à Halle.